



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio XLIII. De mißione diuinarum personarum in octo articulos diuiso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

Confirm.

Solut.

ad confir.

Obi.

Solut.

tur mysterium Trinitatis: sed ante huius reuelationem dicebatur omnipotens respectu creaturarum, & nulla cognoscebatur potentia respectu actuum notionalium; ergo nunc eodem modo dicitur. Et confirmatur; quia, si omnipotentia acciperetur pro potentia omni producendi aliquid tam intra Deum, quam extra, non apparet, qua ratione possemus dicere omnipotentiam esse in tribus personis; ergo. Resp. falsam esse maiorem propositionem simpliciter loquendo. Secundò dico veram esse, si sermo sit de prima nominis impositione, & vulgata significatione, non autem de tota & adæquata significatione. Ad confir. negatur assumptum; nam dicimus omnipotentiam esse tribus communem quo ad primam nominis impositionem, & vulgatam significationem, non autem quo ad secundam vel tertiam impositionem.

Contra eandem concl. profert Suar. dicta Conc. Tolet. 6. & 11. & SS. Patrum, Fulg. & Athan. significantia Deum intelligi & nuncupari omnipotentem, eo quòd omnem creaturam de nihilo produxit, & vnam esse trium personarum omnipotentiam. Sed hæc, vt sapè repetiuimus, intelligenda sunt de prima nominis impositione, & conceptione virtute nostri intellectus naturali formata.

Ex dictis patet dictos expositores perperam interpretari verba D. Aug. vt etiam aduertit Ripa.

CIRCA respons. ad 3. disputant hic Torres & Zumel. an in filio sit potentia generatiua? Lege, si vacat Zumel. qui de hac difficultate præ omnibus cumulatè disseruit.

QVAESTIO XLIII.

De missione diuinarum personarum in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de missione diuinarum personarum.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primò, Vtrum alicui diuina persone conueniat mitti.

Secundò, Vtrum missio sit aeterna, vel temporalis tantum.

Tertio, Secundum quod diuina persona inuisibiliter mittatur.

Quarto, Vtrum cuilibet persone conueniat mitti.

Quintò, Vtrum inuisibiliter mittatur tam filius quam Spiritus sanctus.

Sextò, Ad quos fiat missio inuisibilis.

Septimò, De missione visibili.

Octauò, Vtrum aliqua persona mittat seipsam visibiliter, aut inuisibiliter.

Ratio ordinis huius Quaestionis, & Articulorum eius.

MISSIO diuinae personae temporalis tantum est, vt dicitur in a. 2. huius q. & ideo comparatio diuinarum personarum adinuicem quo ad missionem posterior est earundem comparatione secundum intrinsecam & aeternam, tam absolutam quam relatiuam: de qua disseruit S. D. in precedenti q.

Huius q. quinque sunt partes praecipuae. In prima tres primos articulos complectente agitur de missione in comuni. In secunda, duobus articulis sequentibus sc. quarto & quinto comprehenditur tractatur in speciali de missione quo-

ad singulas diuinas personas. In tertia, quae sexto continetur art. disputatur de termino missionis extrinseco. In quarta, quae vno etiam absoluitur articulo, agitur de missione visibili. In vltima denique examinatur difficultas ex praedictis emergens, & ad sui definitionem praecedentiura requirens doctrinam articulorum.

Prima pars in duas distinguitur; in prima declaratur, an sit & quid sit diuina missio. scilicet in 1. artic. in secunda, duo praecipua ad quidditatem missionis pertinentia, scilicet processio originis à mittente, & nouus modus existendi in creatura; quae duo explicat in comuni in 2. a. sed in a. 3. differit in speciali de nouo modo existendi in creatura.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum alicui persone diuina conueniat mitti.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd persona diuina non conueniat mitti. Missus enim minor est mittente. Sed vna persona diuina non est, minor alia. Ergo vna persona non mittitur ab alia.

2. Praeterea. Omne quod mittitur, separatur à mittente. Vnde Hier. dicit super Ezech. Quod commun-ctum est, & in corpore vno copulatum, mitti non potest. Sed in diuinis personis nihil est separabile, vt Hil. dicit. Ergo vna persona non mittitur ab alia.

3. Praeterea. Quicumque mittitur ab aliquo loco discedit, & ad aliquem locum de nouo vadit. Hoc autem diuinae personae non conuenit, cum vbique sit. Ergo diuinae personae non conuenit mitti.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 3. Non sum ego solus, sed ego & qui misit me manet.

Respondetur dicendum, quòd in ratione missionis duo importantur: Quorum vnum est habitudo missi ad eum à quo mittitur. Aliud est habitudo missi ad terminum ad quem mittitur. Per hoc autem, quòd aliquis mittitur, ostenditur processio quodam missi à mittente: vel secundum imperium, sicut Dominus mittit seruum: vel secundum consilium, sicut consiliarius mittere dicitur regem ad bellandum: vel secundum originem, vt si dicatur quòd flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mittitur, vt aliquo modo ibi esse incipiat: vel quia prius ibi omnino non erat. quo mittitur: vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non erat. Missio igitur diuinae personae conuenire potest secundum quod importat ex vna parte processionem originis à mittente, & secundum quòd importat ex alia parte nouum modum existendi in alio. Sicut filius dicitur esse missus à patre in mundum, secundum quòd incepit in mundo esse per carnem assumptam: & tamen ante in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1.

Ad Primum ergo dicendum, quòd missio importat minorationem in eo qui mittitur, secundum quòd importat processionem à principio mittente, aut secundum imperium, aut secundum consilium: quia imperans est maior, & consiliarius est sapientior. Sed in diuinis non importat nisi processionem originis, quae est secundum aequalem aetatem, vt supra dictum est.

Ad Secundum dicendum, quòd illud quòd sic mittitur, vt incipiat esse vbi prius nullo modo erat, sua missione localiter mouetur. Vnde oportet quòd loco separatur à mittente. Sed hoc non accedit in missione diuinae personae, quia persona diuina missa, sicut non incipit esse vbi prius non fuerat, ita nec desinit esse vbi fuerat. Vnde talis missio est sine separatione, sed habet solam distinctionem originis.

Ad Tertium dicendum, quòd obiectio illa procedit de missione, quae sit secundum motum localem, quae non habet locum in diuinis.

Sena

236
1. dist. 15. q.
1. d. 1. q.
4. cont.
c. 23. cor. 2.
c. 24. ad
1. q. 2.

hil. 7. de
Tri. non
procul à fi-
ne lib.

Sensus quæsti.

IAM dictum est in hoc ar. non solum definiri, an insit missio diuinæ personæ, sed etiam quid sit, ut hic etiam aduertit Cai. ex eius enim quidditate cognoscitur esse. Et cum ex scripturis *Iuan. 6. 8. & 15.* certa fide constet missionem alicui personæ conuenire, sequitur hic præcipue missionis quidditatem inquiri.

Forma Textus.

CONCL. est. *Alicui diuinæ personæ conuenit mitti.* Probatur. Missio includit duo, primum est habitudo processionis à mittente, vel secundum imperium, vel secundum consilium, vel secundum originem: secundum est habitudo ad terminū, ad quē mittitur, ut aliquo modo esse ibi incipiat, vel quia prius ibi omnino non erat, vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non erat; at utrumque conuenit alicui diuinæ personæ; ergo missio diuinæ personæ conuenire potest &c. Maior quo ad singulas partes declaratur exēplis, ut patet in textu. Minor probatur; quia alicui diuinæ personæ conuenit origo ex alia, vel alijs personis, & nouus modus existendi in alio, scilicet in creatura, ut patet in filio, qui dicitur esse missus à patre in mundum. &c.

Expositio Textus.

COLLIGUNT ex hoc & sequentibus articulis Torres, Bannes & Zúmel. & alij expositores diffinitionem missionis, tam in communi quam in speciali, prout est missio diuinæ personæ: quarum examen ad subsequenter immediate pertinet controuersiam. Vide præterea apud Bannesium argumenta contra conclusionem & eius solutiones.

CONTROVERSIÀ VNICA.

De ratione propria, & quidditativa missionis diuinæ personæ.

Sententia
Doctorem.

VASQ. disput. 170. duo dicit. Primum. Cai. D. in hunc a. & Ferrar. in 4. cont. gent. cap. 23. docent dupliciter usurpari posse missionem, tum præse & proprie pro æterna processione connotato nouo modo existendi in creatura: tum etiam latiori significatione pro sola manifestatione temporali. Secundum est. Omnia, quæ de missione diuinarum personarum in scriptura & Patribus traduntur, facilius constant, si dicamus missionē solū capi priori modo; quia de ratione missionis diuinæ personæ est, ut illa quæ mittitur, procedat substantialiter à mittente: ex quo deducit personam missam semper distingui realiter à mittente.

Suarez lib. 12. cap. primò dicit quinque. Primum. Magister in primo dist. 15. ait missionem nihil aliud esse, quam externam operationem alicuius temporalis effectus: & hanc sententiam (inquit) secutus est S. Th. ibi q. 3. a. 1. cum hac limitatione, ut missio dicat temporalem actionem, quatenus est à persona procedente ab alia, vel eam ut sic manifestat. Quæ sententia vel in rigore est falsa, vel diminuta saltem est. Secundum est. Missio diuinæ personæ est processio eius cum habitudine, seu connotatione temporalis effectus. Tertium in cap. 3. Omnis persona produciens potest etiam mittere, atque illa sola, & ita pater & filius possunt mittere, Spiritus S. autem non potest mittere. Quartum. Non quilibet persona produciens potest mittere

A quamlibet, sed solum eam, quam produciens. Quintum. Distinctio illa duplicis significationis s. verbi mittendi, qua utitur D. Th. in ar. 8. huius q. non habet sufficientem causam, nec est in usu scripturæ admittenda; vel quia verbum mittendi inuoluit distinctionem, & aliquam processionē realem missi à mittente; vel quia altera significatio impropria est: & Scriptura cum proprietate est intelligenda, ubi aliud non constat.

AD HUIUS controuersie definitionem satis nobis erit ea colligere, quæ docet hic Sanctissimus præceptor, & art. 8. & in primo de ratione missionis diuinæ personæ, addita veterum Thomistarum, scilicet Capreol. Caietan. & Ferrariensis explicatione. Hic igitur ait S. Doctor in missione communiter sumpta duo importari, scilicet processionem missi à mittente, vel secundum imperium, vel secundum consilium, vel secundum originem & nouitatem, vel nouum modum essendi in eo loco, vel re ad quam mittitur. Missio verò diuinæ personæ duo hic etiam dicitur importare, scilicet processionem originis à mittente, & nouum modū existendi in alio. In articulo autem ultimo huius quæstionis, ita loquitur. Si mittens designetur ut principium personæ, quæ mittitur: sic non quilibet persona mittit, sed solum illa cui conuenit esse principium illius personæ: & sic filius mittitur tantum à patre, Spiritus S. autem à patre & filio. Si verò persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam. Hæc ibi. Sed in primo dist. 15. q. 3. a. 1. sapientia suæ thesaurum aperiens, perspicue dictæ veritatis radicem ostendit dicens, sibi non probari sententiam Præpositiui & Altifiodorensis, asserentium missionem sumi aliquando proprie, & aliquando improprie siue communiter: & proprie sumptam importare distinctionem missi à mittente, communiter autem & improprie sumi pro influenza vel datione: atque ita dicunt Spiritum S. mittere se, quia dat se, vel quia inspirat se. Sed illis inquit S. D. consentiendum est, qui dixerunt proprie dici Spiritum S. mittere se; quoniam, ut ante diximus, missio duo importat, scilicet missum esse ab alio ratione auctoritatis quam importat, & effectum secundum quem nouo modo in aliqua creatura dicitur esse Spiritus San. Quapropter huius propositionis Spiritus S. mittitur, sensus est. Spiritus S. est ab aliquo, & fit nouo modo in aliquo, nulla tamen mutatione, facta circa ipsum.

Duo præterea notat ibidem S. D. Primum est discrimen illius propositionis seu locutionis, in qua prædicatur aliquod coniunctum de aliquo secundum esse: ab ea, in qua prædicatur fieri. Nam ad prioris veritatem oportet coniunctum secundum utramque partem in esse subiecto: ut si dicam, Petrus est homo albus, oportet Petrum esse hominem, & esse album, nisi alterum diminuat rationem alterius, ut cum dicitur, Sortes est homo mortuus. Ad posterioris autem propositionis veritatem, in qua prædicatur coniunctum secundum fieri, sufficit alteram totius coniuncti partem in fieri de subiecto prædicari: Nam ut vera sit hæc propositio, Petrus est nunc factus homo albus, satis est nunc esse factum album, quamuis non sit factus homo. Secundum quod ibidem notatur, est habitudo duplex, & valde differens eius compositi, quod prædicatur de aliquo secundum fieri. Altera est ad factum de quo necesse est utramque

Resolutio.
Explicatur
ex doctrina
D. Th. quid
sit missio,
mitti, &
mittere, &
quibus per-
sonis conue-
niant: & eo-
rum sententia
opiniones
Valquezij,
& Suarez.

Spiritus S.
Sed illis inquit
S. D. consentiendum
est, qui
dixerunt proprie
dici Spiritum
S. mittere se;
ibi se.

Nota diffe-
rentiam pro-
positionum
ex D. Tho.

que partem compositi prædicari ad minus secundum esse, quamuis alterum tantum prædicetur secundum fieri: vt si dicam, Petrus factus est homo albus, oportet Petrum esse hominem, & esse album, nisi alterum sit diminuens, vt dictum est; non autem est necesse Petrum fieri hominem, sed satis est fieri album. Altera verò habitudo compositi prædicati est ad facientem, de quo non est necesse prædicari tale compositum secundum vtramque sui partem, sed satis est, vt prædicetur secundum alteram, quia faciens non refertur ad factum, nisi secundum id, quod fit in ipso; vt si dicam, pictor facit parietem album, non oportet vtramque partem huius compositi quod est paries albus, à pictore fieri, vt scilicet faciat parietem, esse parietem, & esse album, sed sufficit, si parietem præexistentem faciat album.

Quid sit personam mitti.

Ex his deducit ibi S. D. ad hoc, vt persona dicatur missa, oportere vt sit ab alio, & fiat in aliquo secundum nouam habitudinem; quia missio denotat missum esse in aliquo, eo modo, quo prius non erat: ac proinde fieri in illo secundum illum modum importat quandam factionem secundum rationem: adeo, vt dicendo Spiritus S. est missus, fiat sensus, Spiritus S. factus est ens ab alio, existens in creatura per gratiam. Vnde quia pater à nullo est, non potest dici missus. Vt autem persona dicatur mittens, satis est, vt faciat personam existentem ab alio, esse in aliquo secundum nouam habitudinem: atque ideo cuiusque personæ conuenit facere alterum duorum, videlicet hoc quod est esse in aliquo secundum nouam habitudinem, dicetur mittere, quamuis non sit principium personæ missæ. Et quia tota Trinitas (inquit) ibi S. D.) facit Spiritum S. esse in aliquo secundum nouam habitudinem propter donum totius Trinitatis collatum: ideo tota Trinitas dicitur mittere Spiritum Sanctum, & ipse seipsum mittere.

Tota Trinitas.

Et ex hoc eodem principio deducit in articulo ibidem seq. Spiritum S. & totam Trinitatem mittere filium, secundum quamlibet missionem. Et in articulo primo proponit hoc argumentum ibi tertium. *Missio ponit exitum missi à mittente: sed nulli personæ conuenit exire à seipsa; ergo nulli personæ conuenit mittere se.* Cui sic respondet. Dicendum, quod missio non ponit tantum exitum, sed cum hoc aliquid aliud, scilicet esse in creatura secundum nouam habitudinem: & quamuis secundum alterum, scilicet exitum non referatur ad se sicut ad principium, tamen secundum vtrumque, communiter refertur ad se sicut ad principium; ipse enim facit se existentem ab alio secundum nouam habitudinem esse in aliquo, ratione perfectionis quam illi confert.

Ex hac D. Tho. doctrina hucusque proposita Capr. in 1. dist. 15. q. vnica duas statuit conclusiones. Prior est. Soli Patri in diuinis repugnat missio. Posterior est. Mittere personam diuinam proprie conuenit patri, & filio, sed minus proprie conuenit Spiritui S. quam probat; quia mittere dicit rationem principij in mittente: vbi ergo mittens est principium pluriū pertinentium ad missionem, verius videtur ei competere ratio mittentis: sed sic est de patre & filio, non autem de Spiritu S. qui dum mittit filium, non est eius principium, sed effectus missionis.

Cai. autem in ultimo huius quæst. articulo paucis mentem D. Thom. complexus, nodum propositæ difficultatis attingit, ac planè soluit dicens, missionem esse nomen multiplex, multas

habens intentiones siue significationes: quemadmodum nomina de quibus agitur in quinto Metaph. Nam primaria dicti nominis intentio est processio missi à mittente secundum se, & secundum nouum modum essendi: secundaria verò eiusdem nominis intentio est processio missi secundum se ab aliquo, siue sit mittens, siue quæuis alia persona &c. & hæc intentio reducitur ad primam, tanquam ad potiorem. De primaria loquitur D. Thom. in hoc art. de secundaria verò in ultimo, cum ait totam Trinitatem mittere personam missam. In quo sensu intelligenda sunt verba illa Isaie 48. *Dominus misit me, & Spiritus eius*, vt exponit ibi Hieron. & Amb. lib. 2. de Spiritu S. c. 1. Chryl. in Hom. detis. & adorando Spiritu, Aug. 2. de Trinit. c. 6. Euseb. lib. 5. de demonst. cap. 6. & Concil. Tol. 11. in cōfess. fidei.

Sed ait Suarez dominum ibi introduci loquentem vt hominem, & sic merito dicere se esse missum à Spiritu S. quia Spiritus S. illum sanctificauit & vnxit oleo diuinitatis, quando in Virginem superuenit, & illud quod ex ea natum est Sanctum, de purissimis eius sanguinibus formauit, & ad redimendos & illuminandos homines misit, iuxta illud Isaie 16. *Spiritus domini super me, eo quod vnxit me: ad euangelizandum pauperibus misit me; ita, vt quædammodum verbum vt homo à Spiritu S. procedit, quia de Spiritu S. est, iuxta illud Luca primo. Quod in ea natum est, de Spiritu S. est: sic etiam sit ab eo missum.* Sed hæc missio (inquit Suarez) non est ea de qua nunc loquimur; quia non cadit in diuinam personam, vt diuina est; cum non fiat sine mutatione aliqua eius, qui mittitur; nos autem loquimur de missione diuinæ personæ, vt diuina est. Sic nunquam legitur in Scriptura, quod Spiritus S. aliquam personam mittat. Hæc ille. Sed hoc ipso, quod filius persona est ab alio, scilicet à patre existens, & opere Spiritus S. concipitur in vtero virginis, & consequenter nouo modo fit existens in creatura, dicitur missus iuxta secundariam huius nominis significationem superius explicatam. Neque necesse est, vt missio cadat in diuinam personam, vt diuina est, id est quoad intrinsecam diuinitatis essentialia vel personalia, ad hoc vt vna persona dicatur ab alia mitti: sed satis est missionem cadere in diuinam personam quoad ea, quæ illi conueniunt per ordinem ad extrinsecum, siue illud sit assumptio, aut terminatio creatæ naturæ, quæ personæ filij conuenit vt diuina est: non tamen secundum se, id est secundum intrinsecam præcisè sumptam, sed prout hypostasis est: non diuinæ tantum, sed etiam humanæ naturæ, vt expresse docet Aug. lib. 4. de Trin. cap. 20. dicens: *Non tantum dicitur missus filius, quia Verbum caro factum est, sed etiam Verbum est missum, vt caro fieret.*

Sed ait Suarez se non videre sufficentem causam significationis dictæ vocis multiplicandi. Nam reuera (inquit) non potest præscindī à persona mittente. At nulla dictarum significationum præscindit à persona mittente, vt patet ex discursu D. Thomæ in 1. supra notato. Deinde congenita D. Thomæ Patrum reuerentia distinctionem illam intentionum seu significationum necessariò postulabat, vt plana in dictis eorum veritas saluaretur, vt etiam aduertit Caiet. in ultimo huius q. articulo; quem in vfu terminorum sequitur Ferrarientis in dicto cap. 23.

Ex dictis perspicue constat primò male Vasquezium imposuisse Cier. & Ferrar. distinctionem

Obiectio Suarezij.

conf.

Repl. Suarezij.

D. Thomæ modestia.

Impositura Vasq. dist.

nem missionis presē & latē sumptē; distant enim hæc duo membra à prædictis plusquam cælum à terra, nam secundaria missionis significatio ad propriam eius significationem pertinet, lata verò significatio impropria est, quam S. D. in 1. excludit, sustinens eam etiam esse propriam quam secundariam esse diximus.

Suar. de f. s. u. *Secundò constat Suar. minus fideliter retulisse sententiam D. Th.*

Denique patet tam secundum dictum Vasquezij quàm omnia illa quinque pronuntiatà Suarezij esse manifestè falsa, excepto fortasse secundo, si intelligatur ut iacet; nam si intendat Suarez missionem diuinæ personæ esse processionem eius à mittente, ut videtur intendere, falsa est propositio vniuersaliter loquendo.

Conclusiones deductæ, & robatæ. **PRIMA CONCL.** Missio in genere est processio quadam ab aliquo principio ad aliquem terminum, ubi prius non erat, vel ubi nouo modo incepit esse, quomodo prius ibi non erat. Missionem sic acceptam distinguit S. D. in tres modos, quos hic singulis accommodatis illustrat exemplis.

SECUNDA CONCL. Missio diuinæ personæ, quo ad propriam & primariam nōnīs significationem est processio eius secundum se per originem à mittente ut à suo principio, & secundum nouum modum essendi in creatura quam sanctificat.

TERTIA CONCL. Missio diuinæ personæ quo ad propriam, sed secundariam eius significationem est processio missi secundum se ab aliquo, siue sit mittens, siue quævis alia persona, & secundum nouum modum essendi in creatura quam sanctificat.

VLTIMA CONCL. Qualibet diuinæ personæ mittit personam missam, loquendo de missione iuxta sensum tertie conclusionis.

Argumentum. **CONTRA primam concl.** & eius distinctionem & explicationem sunt argumenta Aureoli apud Capr. in 1. dist. 15. q. vñica a. 1. & 2. ibidem soluta.

CONTRA tertiam, & ultimam conclus. sunt argumenta Scoti à Capr. relata, & soluta in eadem q. a. 2.

Obiect. 1. **CONTRA easdem duas concl.** profert Vasq. dictum Hylarij in 9. de Trinit. & Greg. in Homil. 26. in Euang. & Bedæ lib. 2. Homil. Hom. 2. quæ secundam nostram concl. confirmant: tertiam autem & quartam non destruunt. Et per hoc satisfiat alijs Sanctorum dictis, quæ producit Suar. in 1. cap.

Obiect. 2. **Secundò sic arguit.** Si de ratione missionis nō esset ipsa processio, etiam si mitti solum esset personæ procedentis, non rectè probaretur contra Græcos Spiritum S. à filio procedere, quia à filio mittitur. Quo etiam argumento vititur Suar. in 3. c. n. 9. Huic argumento respondet S. D. de pot. q. 10. a. 4. ad 14. in hæc verba: Non excluditur (scilicet per dictas duas conclusiones) ratio probans spiritum Sanctum à filio procedere per distinctionem ipsorum per hoc quod proprietatibus distinguuntur; quia proprietates illæ relativæ sunt, & distinguere non possunt nisi adinuicem opponantur. Hæc ibi. Significans probationem ex missione desumptam, non esse efficacē, nisi sumendo missionem in primario sensu, vel potius excludendo secundariam eius significationem cum Athan. & alijs, ut ibidem significat S. D.

Obiect. 3. **Tertiò.** Ratio missionis non postulat, ut is qui mittitur, procedat substantialiter ab aliquo; ergo.

A go. Probatur antec. Nam etiam si aliquis homo intelligeretur à nullo substantialiter procedere, posset nihilominus intelligi ab alio per imperium mitti, & esset vna missio illius; ergo. *Solut.* Respondo primo argumentum militare contra autorem.

Secundò dico missionem diuinæ personæ necessariò postulare, ut persona missa procedat substantialiter ab alia; quia in diuinis non potest esse ordo ad personam ut principium, nisi secundum originem. Omne autem missum necessariò habet aliquem ordinem ad aliquid, ut ad principium, ut patet in textu.

Obiect. 4. **Quartò.** Omnis missio est exitus, & processio eius qui mittitur à mittente, ut hic ait S. Th. in diuinis non potest esse exitus nisi secundum originem; ergo. *Solut.* Respondo cum D. Th. in 1. dist. 15. q. 1. a. 1. ad 3. quod missio non dicit tantum exitum, sed etiam esse in creatura secundum nouam habitudinem. Et quamuis secundum alterum scilicet exitum non referatur ad se, neque semper ad mittentem sicut ad principium: tamen secundum utrumque coniunctum semper refertur ad mittentem, qui facit personam missam existentem ab alio secundum nouam habitudinem esse in aliquo ratione perfectionis, quam illi confert. Secundò dico maiorem esse veram de missione secundum primarium eius significatum.

Contra eandem concl. argumentatur Suarez. *Obiect. 5.* **Primò.** Hæc sententia nec saluat accomodatè Metaphoram missionis neque explicat egressum missi à mittente, quem verbum mittendi importat; ergo vel est falsa, vel diminuta. Antec. quo ad primam partem probatur; quia sic potius effectus productus diceretur missus, quàm diuinæ personæ. Quo ad secundam verò; quia sequeretur secundum hanc sententiam quancunque personam mittere se, & aliam, eo ipso quo talem effectum producit. *Solut.* Respondo falsum esse antec. Ad probationem primæ partis negatur illatio. Nam, ut dictum est persona mittens facit personam missam existentem ab alio secundum nouam habitudinem esse in aliquo. Ad probationem secundæ partis admitto consequentiam cū consequente deducto, quod est D. Th. in ar. ultimo huius q.

Secundò. Missio debet esse notionalis; ergo. *Obiect. 6.* necesse est, ut includat æternam processionem. Antec. probatur; Quia alias non distingueretur ab attributis communibus. *Solut.* Respondo missionem includere æternam processionem sub distinctione, scilicet, vel à mittente, vel ab aliquo alio, & hoc sufficit, ut si notionalis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum missio sit æterna, vel temporalis æternam.

Ad Secundum sic proceditur. Videtur, quod missio possit esse æterna. Dicit enim Greg. * eo mittitur filius, quo generatur. Sed generatio filij est æterna. Ergo & missio. *227. 1. dist. 15. q. 1. a. 2. * Hom. 26. in Euang. * sicut possit*

2 Præerea. Cuiusque conuenit aliquid temporaliter, illud mutatur. Sed diuinæ personæ non mutantur. Ergo missio diuinæ personæ non est temporalis, sed æterna.

3 Præerea. Missio processionem importat. Sed processio diuinarum personarum est æterna. Ergo & missio.

Sed contra est, quod dicitur Galat. 4. Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.

Respondeo dicendum, quod in his, quæ important

ff. 4. obi.

originem diuinarum personarum, est quadam differētia attendenda. Quada enim in sui significatione importat solam habitudinem ad principium, vt processio, & exitus. Quadam verò cū habitudine ad principium determinant processionis terminum. Quorum quadam determinant terminum æternum, sicut generatio, & spiratio. Nam generatio est processio diuinæ personæ in naturam diuinam. Et spiratio passiue accepta importat processionem amoris subsistentis. Quadam verò cum habitudine ad principium importat terminum temporalem, sicut missio & datio. Mittitur enim aliquid ad hoc vt sit in aliquo, & datur ad hoc qd habeatur. Personam autem diuinam haberi ab aliqua creatura, vel esse nouo modo existendi in ea, est quoddam temporale. Vnde missio & datio in diuinis dicuntur temporaliter tantum. Generatio autem & spiratio solum ab æterno. Processio autem & exitus dicuntur in diuinis & æternaliter & temporaliter: nam filius ab æterno processit vt sit Deus: temporaliter autem, vt etiam sit homo secundum missionem visibilem, vel etiam vt sit in homine secundum inuisibilem missionem.

Ad Primum ergo dicendum, quod Greg. loquitur de generatione temporali filij, non à patre, sed à matre. Vel quia ex hoc ipso filius habet quod possit mitti, quod est ab æterno genitus.

Ad Secundum dicendum, quod diuinam personam esse nouo modo in aliquo, vel ab aliquo haberi temporaliter: non est propter mutationem diuinæ personæ, sed propter mutationem creaturæ, sicut & Deus temporaliter dicitur Dominus propter mutationem creaturæ.

Ad Tertium dicendum, quod missio non solum importat processionem à principio, sed determinat processionis terminum temporalem. Vnde missio solum est temporalis, vel missio includit processionem æternam, & aliquid addit, scilicet temporalem effectum. Habitus enim diuinæ personæ ad suum principium non est nisi ab æterno. Vnde gemina dicitur processio, æterna scilicet & temporalis: non propter hoc quod habitudo ad principium geminetur, sed geminatio est ex parte termini temporalis & æterni.

Sensus questii.

TITVLVM explicat Cai. hic, & S. Tho. in 1. dist. 14. q. 1. a. 1. ad 4.

Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione trimembri respondet S. D. ad quæsitum tribus conclusionibus.

Distinctio est. Ex nominibus significantibus originem diuinarum personarum, quædam in sui significatione importat solam habitudinem ad principium, vt processio & exitus: quædam verò cum habitudine ad principium determinant processionis terminum: & hæc sunt in duplici differentia: Nam quædam determinant terminum æternum, sicut generatio & spiratio: quod probatur; quia generatio est processio diuinæ personæ in naturam diuinam, & spiratio passiue accepta importat processionem amoris subsistentis. Quædam verò cum habitudine ad principium importat temporalem terminum. Probat hoc; quia mittitur aliquid ad hoc, vt sit in aliquo, & datur ad hoc vt habeatur: personam diuinam haberi ab aliqua creatura, vel esse nouo modo existendi in ea, est quoddam temporale: ergo quædam nomina, quæ sunt missio & datio, important cum habitudine ad principium terminum temporalem.

PRIMA CONCL. est: Nomina, quæ cum habitudine ad principium importat terminum temporalem, dicuntur temporaliter tantum. Probat eodem modo,

A quo probatū fuit vltimū membrū distinctionis; quia mittitur aliqd ad hoc, vt sit in aliquo, &c.

SECUNDA CONCL. Nomina, quæ cum habitudine ad principium determinant terminū æternum, sicut generatio & spiratio, dicuntur solum ab æterno. Hæc patet ex terminis. Nam totum quod significant, vel important, est æternum, sc. principium & terminus; ergo solum ab æterno dici possunt.

TERTIA CONCL. Nomina, quæ in sui significatione important solam habitudinem ad principium, vt processio & exitus, dicuntur in diuinis, & æternaliter, & temporaliter. Probat. Nam filius ab æterno processit, vt sit Deus, temporaliter autē vt etiam sit homo secundum missionem visibilem, vel etiam vt sit in homine secundum inuisibilem missionem.

Expositio Textus.

OBSEVA primò radicem siue fundamentum cui nititur probatio primæ conclus. ex D. Th. in 1. dist. 14. q. 1. a. 1. ad 5. quod erat tale. In processione temporali, quæ etiam missio dicitur, includitur intellectus processionis æternæ secundum Augustinum, sed denominatio fieri debet à digniori; igitur, & si in processione sit aliquod temporale, non debet dici temporalis, sed æterna. Cuius solutio ibidem est. Aliquod coniunctum non potest affirmari nisi pro vtraque parte: sed negari potest pro altera parte tantum, sicut patet in veritate, & falsitate copulatiuæ propositionis. Et quia temporale claudit in se quandam negationem cum affirmatione, scilicet aliquando esse, & prius non fuisse: æternum autem importat tantum affirmationem essendi, ideo coniunctum non potest dici æternum, nisi vtrumque æternum sit: temporale autem dici potest, etiam si alterum sit tantum temporale: sicut creator importat diuinam operationem, & connotat effectum in creatura actualiter, ratione cuius Deus non dicitur creator ab æterno, sed ex tempore. Hæc ibi. Cui fundamento nititur regula illa de diuinis nominibus dictis de Deo ex tempore quam tradidit supra D. Th. q. 13. a. 7. ad 1. videlicet omnia nomina diuina quæ important habitudinem ad creaturam, siue principaliter, siue consequenter, ex tempore de Deo dicuntur quantum ad habitudinem, non autem quantum ad hoc, quod significat essentiam, vel directè, vel indirectè. Quæ regula intelligenda est de habitudine consequente actionem Dei transeuntem, vt explicatur ibidem ad 3. ubi dicitur absolute prædicta nomina dici de Deo ex tempore.

Quod si queras, cur non possit coniunctum affirmari pro altera, ac præsertim præcipua parte tantum; ac proinde, cur dici non possit missio æterna ratione originis æternæ per eam significatæ? Dico rationem coniuncti ex partibus simul acceptis coalescere, & non existere nisi positis, ac simul copulatis eius partibus. Et quemadmodum vna pars quantumvis præcipua non est totum ipsum coniunctum; ita vna, tali parte tantum existente, non dicitur totum ipsum existere. Sic itaque missio contemplanda est, vt quoddam totum constans ex originis æternæ processione, & nouo ac temporali modo existendi in creatura: cum aut æternæ processionis adiungitur ac temporalis ille modus, confurgit missio simpliciter temporalis; quia non est eius completa ratio nisi in tempore: sicut, si fingamus animam rationalem esse præexistentem ab æterno, & materiæ in tempore copulari, totū ex ea confurgens, sc. homo, nō diceretur æternū, sed temporale, quia non nisi in tempore suum habet esset. His adde nomen missionis importare

tare principaliter ordinem ad effectum missionis, secundum quem est essentialis, & ex consequenti relationem originis, secundum quam est notionale, ut ait S. D. in dicta d. 15. q. 1. a. 2. Ex quo sequitur, missionem simpliciter esse temporalem.

Et ex his patet solutio dubitationis hic motae à Canar. quem sequuntur Zumel. & Mol. eadem enim est cum illa, quam excitat & soluit S. Th. loco paulo ante relato.

Legere praeterea, si palceat, duas difficultates hic à Iacello motas & solutas, & explicationem responsionis ad tertium apud Caiet. quam Sylu. amplificat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum missio inuisibilis diuinae personae sit solum secundum donum gratiae gratum facientis.

228
1. di. 14. q.
2. art. 1.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod missio inuisibilis diuinae personae non sit solum secundum donum gratiae gratum facientis. Diuinam enim personam mitti, est ipsam donari. Si igitur diuina persona mittitur solum secundum dona gratiae gratum facientis, non donabitur ipsa persona diuina, sed solum dona eius. Quod est error dicentium Spiritum S. non dari, sed eius dona.

2. Praeterea, Hac praepositis, secundum, denotat habitudinem alicuius causae, sed persona diuina est causa quod habeatur donum gratiae gratum facientis, & non est conuerso secundum illud Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ergo inconuenienter dicitur, quod persona diuina secundum dona gratiae gratum facientis mittatur.

11. 4. de tri.
c. 10. in me.
dio. tom.

3. Praeterea Aug. * dicit 4. de Trin. quod filius cuius ex tempore mente percipitur, mitti dicitur. Sed filius cognoscitur, non solum per gratiam gratum facientem, sed etiam per gratiam gratis datam, sicut per fidem & per scientiam. Non ergo persona diuina mittitur secundum solam gratiam gratum facientem.

4. Praeterea, Rabanus dicit, quod Spiritus sanctus datus est Apostolis ad operationem miraculorum. Hoc autem non est donum gratiae gratum facientis, sed gratiae gratis datae. Ergo persona diuina non solum datur secundum gratiam gratum facientem.

De 11. 3. c. 1.
circa finem
refertur 10.
3.

Sed contra est, quod August. * dicit 3. de Trin. quod Spiritus sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam. Missio autem est temporalis processio. Cum igitur sanctificatio creaturae non sit nisi per gratiam gratum facientem, sequitur quod missio diuinae personae non sit nisi per gratiam gratum facientem.

Respondeo dicendum, quod diuinae personae conuenit mitti, secundum quod nouo modo existit in aliquo: dari autem, secundum quod habetur ab aliquo: neutrum autem horum est nisi secundum gratiam gratum facientem. Est enim communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam & praesentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Praeter istum autem modum communem est vnus specialis, qui conuenit naturae rationali: in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscendo & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum ipsum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur & procedit temporaliter per-

Asona diuina. Similiter illud solum habere dicimur, quo libere possumus vti, vel frui. Habere autem potestatem fruendi diuina persona est solum secundum gratiam gratum facientem. Sed tamen ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur & mittitur.

Ad primum ergo dicendum, quod per donum gratiae gratum facientis perficitur creatura rationalis: ad hoc, quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsa diuina persona fruatur. Et ideo missio inuisibilis sit secundum donum gratiae gratum facientis, & tamen ipsa persona diuina datur.

Ad secundum dicendum, quod gratia gratum faciens disponit animam ad habendam diuinam personam, & significatur hoc cum dicitur, quod Spiritus sanctus datur secundum donum gratiae. Sed tamen ipsum donum gratiae est à Spiritu sancto. Et hoc significatur, cum dicitur quod charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

Ad tertium dicendum, quod licet per aliquos effectus filius cognosci possit à nobis, non tamen per aliquos effectus nos inhabitat, vel etiam habetur à nobis.

Ad quartum dicendum, quod operatio miraculorum est manifestatio gratiae gratum facientis, sicut & donum prophetiae: & quilibet gratia gratis data à Vnde 1. Cor. 12. Gratia gratis data nominatur manifestatio spiritus. Sic igitur Apost. dicitur datus Spiritus S. ad operationem miraculorum: quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante. Si autem daretur solum signum gratiae gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus S. nisi forte cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur quod alicui datur spiritus propheticus vel miraculorum, in quantum à Spiritu sancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi.

Sensus quaesiti.

TITVLVM explicant Cai. & Sylu. quoad particulam illam missio inuisibilis: quos sequitur Zumel. & Mol. Quo ad vltimam autem declaratur à Canar. ex 1. 2. q. 111.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. Diuina persona mittitur inuisibiliter secundum solam gratiam gratum facientem.

SECUNDA CONCL. Persona diuina datur etiam secundum solam gratiam. Probantur ambae simul. Diuinae personae conuenit mitti, secundum quod nouo modo existit in aliquo: dari autem secundum quod habetur ab aliquo: at neutrum horum est, nisi secundum gratiam gratum facientem; ergo. Minor probatur primo quoad priorem partem, scilicet nouum modum existendi. Deus solum dicitur esse in creatura rationali, & habitare in ea sicut in templo suo, quatenus est in ea sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante: ergo hic solus effectus, qui est gratia gratum faciens, potest esse ratio, quod diuina persona sit nouo modo in rationali creatura. Consequentia patet. Quia cognoscere & amare Deum pertinet ad gratiam gratum facientem. Antecedens probatur. Duo sunt modi quibus dicitur esse Deus in aliquo. Primus est communis, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam & praesentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Secundus est specialis, qui conuenit naturae rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, & secundum hunc solum specialem modum creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum: secundum hunc solum modum dicitur Deus esse in creatura rationali.

E

nali,

nali, & habitare in ea, sicut in templo suo. Posterior verò pars minoris, videlicet diuinam personam haberi solum secundum donum gratiæ gratum facientis probatur. Illud solum habere dicimur, quo liberè possumus uti, vel frui. At habere potestatem fruendi diuina persona, est solum secundum gratiam gratum facientem: ergo.

TERTIA CONCL. *Persona diuina in ipso gratiæ dono simul datur & mittitur.* Probatur. In ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem; ergo ipse Spiritus S. datur & mittitur.

CONTROVERSTIA VNICA.

Quid sit diuinam personam inuisibiliter mitti, dari & haberi à nobis, & in quonam præcipue sit posita ratio missionis, & dationis?

*Sententia
Doctorem.*

DVAE contrariæ fuerunt veterum Scholasticorum sententiæ, siue potius errores. Vnus dicentium cum sanctificatur homo non mitti personam Spiritus S. aut filij, sed dona tantum creata communicari. Alius fuit Magistri in 1. dist. 17. nulla nobis conferri dona creata, sed ipsum Spiritum S. fieri in nobis charitatem, qua Deum diligimus; ipse enim Spiritus S. (ait Magister) est amor suæ charitas, qua nos diligimus Deum, & proximum: quæ charitas, cum ita est in nobis, vt nos faciat diligere Deum & proximum, tunc Spiritus S. dicitur mitti vel dari nobis. Hanc opinionem confutat ibi. Th. & secunda secunda. q. 23. ar. 2. Priorem autem in hoc art. Ad opinionem Magistri proximè accedit Arimin. in 1. dist. 14. q. 1. a. 1. concl. 3. dicens possibile esse dari Spiritum S. homini, absque hoc quod detur ei aliquod donum creatum. Quam sententiam refert Capr. in 1. dist. 14. q. 1.

Dur. eadem dist. q. 3. affirmat Spiritum S. dari aliquando creaturæ rationali solum cum donis naturæ, sed imperfectè: cum donis verò gratiæ perfectius, sed cum donis gloriæ perfectissimè.

Aureolus apud Capr. in dicta dist. ait missionem inuisibilem Spiritus S. in hoc non consistere, vt Deus sit in creatura rationali, tanquam obiectum cognitum & amatum, vt affirmat hic S. Doc.

Vasq. imponit Cai. quod dixerit de mente D. Tho. inuisibilem missionem, non solum fieri per donum gratiæ gratum facientis, sed etiam per donum fidei informis, & per cogitationem, & dilectionem Dei quamcunque.

Suarez etiam lib. 12. cap. 5. num. 6. ait Cai. docere mitti etiam personam filij, per donum fidei informis: quorum nihil simile sonant verba Cai. sed ait missionem diuinæ personæ inuisibilem attendi secundum quartum modum in littera positum, quo Deus speciali modo dicitur esse in creatura rationali, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante; quia missionem excellentem oportet attendi secundum proprium & supremum rationalis creaturæ: hoc verò supremum est non actus primus, aut habitus, sed actus secundus quo Deus ipse per actus gratiæ cognoscitur & amatur, notitia nimirum supernaturali, quæ per fidem est & dona Spiritus S. & per charitatem; sic enim Deus rationalē creaturam vt templum inhabitat. Hic itaq; modus excellens, quo Deus inhabitat creaturam, species quedam secundum Cai. est illius quarti modi, quo Deus esse di-

citur in rationali creatura veluti cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Quem dicendi modum alij communiter sequuntur interpretes.

Zumel. dist. 1. docet existentiam diuinæ personæ in rationali creatura per gratiam continere quatuor illos modos eminenter, quos ponit in littera S. D. sicut lumen Solis continet eminenter esse reale & intentionale. Quam sententiam sequitur, & explicat Suarez lib. 12. cap. 5. nu. 12.

Sylu. ait ipsum quartum modum esse, secundum quem attenditur missio diuinæ personæ, & non aliquā speciem quarti modi: quia secundum quartum modum Deus non est in creatura, nisi per dona gratiæ gratum facientis: Nam carētes gratia, non diligunt Deum simpliciter, quia non diligunt eum tanquam vltimum finem, sed habent finem in creatura: vnde non habent dilectionem Dei simpliciter, quæ est amicitia: & sic secundum istum modum non est Deus in eis, nisi imperfectè & secundum quid.

NIL existimamus addendum ijs, quæ post Magistrum & D. Thomam, aduersus priorem sententiam scribunt hic Bannes dubio vnico, Zumel. dist. 1. Torres in 3. p. comm. & Suarez in dicto cap. 5. nu. 8. & seq. De sententia verò Magistri disputat hic Torres in 2. p. sui comm.

Sed locus proprius est in 2. 2. q. 23. artic. 2. ad quem lectorem remittimus. Quod hic negotium facessit, est proposita difficultas, in quo scilicet posita sit ratio missionis inuisibilis diuinæ personæ: an in eo excellenti essendi modo, quo dicitur esse Deus in creatura rationali, vt obiectum cognitum per fidem & dona Spiritus S. in cognoscente, & vt amatum amore charitatis in amante: quem modum asserit Cai. esse speciem perfectissimam quarti modi in littera numerati: an in alio aliquo communiori, vt existimauit Durandus, vel potius in vno aliquo modis omnes in textu positos supereminenter præhabente, vt affirmat Zumel.

Ad cuius euidentiam considerandum est primò, diuinas personas secundum rationem suæ processions habere causalitatem respectu creationis rerum: & esse rationis productionis creaturarum quatenus includunt essentialia attributa, vt ait S. D. infra q. 45. artic. 6. quia Deus pater operatus est creaturam per suum verbum quod est filius, & per suum amorem qui est Spiritus S. Operatur autem Deus per verbum & amorem, non ea tantum, quæ sunt ordinis naturalis, sed quæ sunt etiam ordinis supernaturalis, vt gratiam & gloriam, secundum quæ attenditur reductio creaturæ rationalis, siue intellectualis in Deum. Igitur respectu colationis donorum supernaturalium rationem habebunt causalitatis diuinæ personæ, secundum rationem suæ processions; ac proinde duplex erit modus processions diuinæ personæ in creaturam: alter secundum exitum creaturæ à Deo, vt in prima rerum institutione, & quauis noua rei aut perfectionis naturalis productione: alter secundum reductionem creaturæ rationalis in Deum. De priori modo processions non est hic sermo, nec secundum illum attenditur missio diuinæ personæ ad creaturam: sed loquitur hic S. D. de processione diuinæ personæ in creaturas, quatenus eis est ratio in Deum, vt finem vltimū supernaturalem redeūdi, cui per gratiā & gloriam proximè copulamur; atque ideo secun-

& datio diuinæ personæ, vt perspicue probatur in textu, & expressè docet S. D. in 1. dist. 15. q. 2. a. vno ad 3. & q. 4. a. 1.

Gratie signi-
ficatio hic.

Secundò aduerendum est, in hoc articulo nomen gratiæ, non sumi pro sola illa diuini ordinis qualitate, quæ est participatio quædam diuinæ naturæ, in essentia animæ nostræ immediate recepta: sed accipitur etiam pro donis & perfectionibus habitualibus, ex ea ad intellectum & voluntatem deriuatis, quibus Deum vt obiectum supernaturale cognoscimus & amamus: qualia sunt dona sapientiæ, scientiæ & intellectus, & charitas: & pro eorum actibus, vt manifestè patet in littera, quæ ex modo essendi Dei in creatura rationali vt obiectum est cognitum & amatum, concludit solam gratiam gratum facientem esse rationem quod persona diuina sit nouo modo in rationali creatura, ac proinde eam mittatur. Et præterea ex hoc, quod potestas fruendi diuinæ persona est solū secundum gratiam gratum facientem, concludit secundum eam solam nobis dari diuinam personam: Constat autem fruitionem esse actū voluntas per charitatem elicitem; igitur hic sumitur gratia prout extenditur ad prædicta. Ad cuius maiorem explicationem.

Considerandum est tertio tria prædicta hic accipi, vt partes vnius perfectæ gratiæ ex eis veluti perfectionum gradibus confurgentis: quem admodum etiam in rebus naturalibus vt vnum cumulatè perfectum accipimus hominem, in humanitate, potentijs, & habitibus, ac operationibus exornata subsistentem. Vt enim ab animæ natura potentia, & ex his actus emanant: sic diuina gratia in animæ nostræ essentia residendo pullulat in intellectu dona ad excellentem Dei cognitionem, & in voluntate charitas ad Deum supernaturale bonum præ omnibus diligendum. Et quoniam excellentissima est hæc Dei missio, idcirco debet attendi secundū id, quod supremum & excellentissimum est non solum in rationali creatura, sed etiam in ipsa gratia prædicto modo sumptā. Gratiæ vero sic acceptæ suprema perfectio, siue gradus in actuali Dei contemplatione & dilectione consistit; ad hæc enim ordinantur vt ad finem qualitas illa supernaturalis animæ nostræ naturam informans & habitus ex ea deriuati. Cum vnūquodque sit propter suam operationem. Quo fit, vt quælibet res sit longè perfectior in actu secundo, quàm in actu primo: & eadem ratione gratiæ in anima existentis summum ex actu cognitionis & dilectionis Dei culmen accedat: sicque Deus longè nobiliori modo sit in anima per actus contemplationis & charitatis, quàm per solam gratiæ qualitatem & habitus ex ea deriuatos. Et hæc videtur fuisse ratio propter quam D. Th. cognitionem & amorem in huius articuli discursu, cum gratia gratum faciente coniunxit, vnum ex altero concludens, quia nimirum pro vno & eodem sumuntur absolute perfectio.

Huius difficultatis aliam solutionem adduximus cum Cai. supra q. 8. a. 3. in secunda dubitatione: sed hæc magis videtur ad mentem D. Th. & facilius conciliat eius doctrinam cum communi SS. Patrum & Scholasticorum sententia dicentium Deum esse in creatura rationali per gratiam, quia Deus in illis operatur gratiā & virtutes, eleuans eos ad consortium naturæ diuinæ. Quod dictum intelligendum est de gratia & virtutibus secundum earum absolutissimè perfectionis gradum, ac per hoc in actu se-

cundo cognitionis & amoris.

Et ex hoc etiam modo dicendi conciliari facile potest expositio Zumel. & Suar. cum interpretatione Cai. & cum littera D. Th. quamuis Zumel. suam proponat expositionē vt Cai. & authori contrariam. Ad cuius euidentiam.

Quartò obseruandum est ex D. Th. supra q. 20.

a. 2. differentiam esse inter amorem nostrum & Dei: quod amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed è conuerso, bonitas eius vera vel æstimata prouocat amorem, quo ei volumus, & bonum conferuari quod habet, & addi quod non habet. Sed amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus. Cum autem amor, quo Deum diligimus

super omnia, sit amicitia quædam inter nos & Deum, vt S. D. 2. 2. q. 23. a. 1. amicitia verò

fit amatio mutua super aliqua communicatione fundata: necesse est, vt amorem nostrum, quo Deū diligimus, præcedat in nobis aliqua boni cōmunicatione, cum ipso Deo fonte bonitatis primæuo. Hæc verò est diuinæ naturæ participatio per gratiam, per quam hic in spē diuinæ sumus participes beatitudinis, re autem in patria. Hanc verò communicationem multiplici rerum similitudine Sacræ litteræ declararunt. Nam ad Ephes. 4. vtitur Apostolus similitudine ciuium & domesticorum dicens. *Estis cives sanctorum & domestici Dei.* Alibi verò ad eandem communicationem exprimendam

vtuntur diuinæ litteræ metaphoris sociorum, fratrum, sponsi & sponsæ, viri & vxoris: sed omnium propriissima videtur expressio, qua filij Dei nuncupamur, & ille pater noster: per hanc enim naturæ consortium, nostra ad Deū inæqualitas & reuerentia, iustitiæ proportio, & amoris excellentia, & relatio ad alios diligēdos iudicatur apertius. Fundatur igitur amor nostræ ad Deū amicitia in participatione diuinæ naturæ ex ipsius Dei in nos beneuolentia deriuata: hæc verò diuinæ naturæ participatio gratia est gratū faciens: ex qua mirifica charismatum germina superius expressa pullulāt in intellectu & voluntate, quibus Deum summā veritatē ac bonum nostrum excellēter cognoscimus & amamus. Cum itaque S. D. modum essendi Dei in creatura rationali specialem affirmat esse per modum obiecti cogniti & amati, charitatis nimirum amore, quæ nostra est ad Deum amicitia: fundamentum eius, scilicet gratiam & dona, ac virtutes insinuat rationali creaturæ ex Dei beneuolentia comunicatas, & consequenter etiam indicat ceteros omnes communes in rebus essendi Dei modos eminenter in hoc vno contineri. Si namque Deus sua erga nos dilectione & amicitia tantæ nobilitatis in nos effundit, & seruat gratiarum charismata; igitur in nobis est per essentiam vt agens in nobis esse diuinum, id est diuini ordinis immediate

immediatione suppositi. Et cum id efficiat per infinitæ suæ virtutis potentiam, quæ à nullius agentis potestate dependet, sequitur Deum in rationali creatura sic operantem esse per potentiam immediate agentem in ea, quam sibi subditam & humiliter obsequentem reddit. Et quoniam in rationali creatura dictos effectus non solum operatur vt agens, sed vt singulariter amans, & amoris effectus est in hæsiō mutua tā quo ad apprehensionē, quam quo ad effectum, quatenus scilicet amans, non est contentus superficiali apprehensione amati, sed singulariter intrinsecus ad amatum pertinencia disquirere, & sic ad interiora eius in-

gressu.

concordant
sententiæ.

Differentia
diuini amo-
ris à nostro
ex D. Th.

Amicitia
nostra ad
Deum.

greditur, & per affectus complacentiam intimè radicatum eius appetit bonum, vt ait S. D. 1. 2. q. 28. a. 2. idcirco sequitur Deum etiam in eadem esse creatura per præsentiam. Cum autem Dei ad nos amicitia sit vt inæquales, vt patris ad filios, aut patrisfamilias ad domesticos eius: benè dixit Torres, & post eum prædicti, Deum in nobis esse vt protectorem, tutorem, rectorem ac pastorem, speciali prouidentia gubernantem: è contra verò, cum nostra ad Deum amicitia sit vt ad principè vniuersi, cuius est infinita dignitas & maiestas, cui summus debetur honor & cultus: dixit optimè S. D. Deum in nobis habitare, sicut in templo ab eodem disposito & exornato ad supremam exhibendam illi per nos adorationem.

Ex his apparet prædictum essendi modum vi sua postulare, realem ac personalem & intimam Dei præsentiam; adeò vt si per impossibile non esset alia diuina persona præfens animæ rationali secundum substantiam & potentiam, ac intuitiuum suæ cognitionis aspectum, per modum essendi prædictum fieret absolutissimè præfens.

PRIMA CONCL. Missio, vel datio diuina personæ non attenditur secundum dona sue perfectionis naturales, neque secundum actum cognitionis aut amoris naturæ viribus eliciti: neque secundum cognitionem fidei informis, aut prophetia præcisè sumptæ, aut amoris supernaturalis ex gratia minimè procedentis. Hæc patet ex dictis & probat eam Suar. libro 12. cap. 5. num. 7. pluribus Sacrarum litterarum testimonijs.

SECUNDA CONCL. Missio diuina persona attenditur secundum donum gratiæ gratum facientis, prout scilicet creatura rationalis cognoscendo & amando attingit ad ipsum Deum, secundum quem modum dicitur esse Deus in ea, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, & in ea habitare sicut in templo suo.

TERTIA CONCL. Prædictus modus continet & exprimit modum perfectissimum, quo Deus est in creatura rationali per gratiam.

QUARTA CONCL. Modus prædictus secundum vnam rationem est perfectissima species quarti modi, vel potius ipse quartus modus est species perfectissima, siue modus ab alijs essendi modis distinctus, vt ait Syl. secundum aliam verò rationem continet eminenter omnes quatuor modos. Declaratur vtraque pars. Nam sumendo dictum essendi modum secundum cognitionis & amoris actus præcisè, species est quarti modi, vel inter quatuor modos perfectissima, vt supra q. 8. a. 3. Accipiendo verò eundem modum non secundum se tantum siue formaliter, sed etiam radicaliter, siue quo ad eius principia, quæ sunt gratia & habitus donorum & charitatis continet eminenter, vt ostendimus, quatuor illos essendi Dei modos in rebus.

VLTIMA CONCL. Non est possibile mitti, aut dari diuinam personam, absque hoc, quod detur ei aliquod donum creatum.

CONTRA primam concl. sunt argumenta, quæ refert & solut Zumel. disput. 2.

CONTRA secundam, tertiam, & quartam *argum. & solut.* **CONCL.** argumentatur Zumel. & post eum Suarez. *Primò.* Obiectum cognitum & amatum duplici ratione dicitur esse præfens in amate & cognoscente: vno modo secundum esse repræsentatiuum, quod habet in verbo, quo cognoscitur, & secundum impulsu in voluntate per amorem: Alio modo tantum obiectiue; at neutro horum modorum Deus inhabitat corda hominum per gratiam & charitatem; ergo secundum

ad dictum modum non attenditur missio diuinæ personæ. Probatur minor quoad priorem partem. Quia Deum sic esse in anima, vt obiectum cognitum & amatum, nihil aliud est, quam fieri in homine conceptu quædam supernaturali modo repræsentatè Deum, ratione cuius dicitur Deus esse intra hominem, sicut cognitum in cognoscente: & in voluntate fieri supernaturalem quandam impetum amoris in Deum, ratione cuius & homo ipse dicitur esse in Deo tanquam in termino suæ inclinationis, & Deus in eo tanquam trahens ipsum: at verò totum hoc non excedit existentiam Dei in homine per dona creata cognitionis & amoris: nam ab illis extrinsecè denominatur Deus sic existens in homine;

Id enim quo in homine verè & realiter existit, non est aliud quam conceptus mentis & impulsus voluntatis. Quo ad alteram verò partem probatur eadem minor. Quia Deum esse sic obiectiue est sola extrinseca denominatio, quæ non requirit vi sua existentiam Dei intra hominem; ergo. Probatur antec. Quia sic etiam obiectum longissimè distans esse potest in me tanquam cognitum & amatum, & si Deus per immensitatem suam non esset intra hominem, sed in celo tantum, & in homine fieret cognitio & amor Dei, esset Deus in homine vt cognitum in cognoscente, & amatum in amante; ergo non est illa ratio sufficiens, vt dicatur Deus ipse, quoad suam personam & substantiam dari homini. *Confr.* Quia homo in puris naturalibus existens, si Dei cognitionem & amorem naturalem acquireret, diceretur habere Deum, vt obiectum cognitum & amatum, & tamen non diceretur Deus ipse quoad substantiam suam dare se tali homini, aut esse in illo proprio ac speciali modo. *Resp.* hoc argumèto probari missionem & dationem diuinæ personæ non attendi præcisè secundum modum essendi Dei in intellectu & voluntate vt obiectum cognitum & amatum, quod etiam affirmat quarta nostra conclusio. Nos autem dicimus attendi missionem secundum illum modum, non præcisè sumptum, sed cum radice gratiæ & habitu supernaturali intellectus & voluntatis, & D. Th. in actibus cognitionis & amoris, vt in summa & absolutissima perfectione gratiæ grati facientis, grati ipsam cum habitibus consequentibus ininuasse, imò & expressisse in ipsa cōclusionem dicendo secundum solā gratiam gratum facientem mitti, & procedere temporaliter diuinam personam. Quam conclusionem ex dicto essendi modo deduxit, qui necessariam ac naturalem habet connexionem cum gratia, & habitibus prædictis, vt eius radicibus ac principijs. Et cum prædicta cognitio & amor, vocabulo gratiæ nuncupentur. S. D. à nobilissima gratiæ parte, totum quod gratiæ est in homine, designauit.

CONTRA eandem concl. argumentatur Zumel. *Obi.* Differentia contractiua generis non debet esse extra rationem illius, sed debet in illo contineri, sicut in potetia: imò verò debet esse eiuldè ordinis, vt docet Arist. in 7. *Metaph.* dicens omnes species constitui differentia per se sui generis, & non differentia per accidens; at esse vt obiectum cognitum in cognoscente est esse intentionale, esse verò secundum existentiam realem, est esse in esse reali, qui duo essendi modi sunt diuersissimi ordinis, nec subordinantur; ergo. *Resp.* eadem responsione; procedit enim argumentum sumendo modum illum essendi in cognitione & amore præcisè.

CON-

Contra vltimam concl. sunt argumenta Greg. A
Arimin. relata & soluta à Capr. in 1. dist. 14. qu. v-
nica, quæ refert etiam & soluit Iauell. super hoc
art.

ARTICVLVS QVARTVS.

Virum patri conueniat mitti.

²¹⁹
1. dist. 15. q.
2. artic. vni
60.
AD Quartum sic proceditur. Videtur, quod patri
etiam conueniat mitti. Mitti enim diuinam
personam est ipsam dari, sed pater dat seipsum (cum
haberi non possit nisi seipso donante) ergo potest dici
quod pater mittat seipsum.

2 Præterea. Persona diuina mittitur secundum
inhabitationem gratiæ. Sed per gratiam tota Trini-
tas inhabitat in nobis, secundum illud Ioan. 14. Ad eum
veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ergo
qualibet diuinarum personarum mittitur.

3 Præterea. Quicquid conuenit alicui personæ,
conuenit omnibus, præter notiones & personas. Sed
missio non significat aliquam personam, neque etiam
notionem, cum sint tantum quinque notiones, vt su-
pra dictum est; ergo cuilibet personæ diuinæ conuenit
mitti.

q. 32. art. 3.

Lib. 2. de
Tri. n. cap. 5
paulo post
pri.

Art. 1. & 2.
huius q.

Sed contra est, quod Augustin. dicit in secundo
lib. de Trin. quod solus pater nunquam legitur missus.

Respondeo dicendum, quod missio in sui ratione
importat processionem ab alio: & in diuinis secundum
originem, vt supra dictum est. * Vnde cum pater non
sit ab alio, nullo modo conuenit sibi mitti, sed solum fi-
lio & Spiritui sancto, quibus conuenit esse ab alio.

Ad primum ergo dicendum, quod si dare importet
liberalem communicationem alicuius, sic pater dat
seipsum in quantum se liberaliter communicat crea-
tura ad fruendum. Si vero importet auctoritatem
dantis respectu eius quod datur, sic non conuenit dari
in diuinis, nisi personæ quæ est ab alio sicut nec mitti.

Ad secundum dicendum, quod licet effectus gratiæ,
sit etiam à patre, qui inhabitat per gratiam, sicut &
filius & Spiritus sanctus: quia tamen non est ab alio,
non dicitur mitti. Et hoc est quod dicit Aug. * 4. de
Trin. quod pater cum in tempore à quoquam cogno-
scitur, non dicitur missus. Non enim habet de quo sit,
aut ex quo procedat.

Libro 4. de
Trin. cap.
20. post
med. 10. 3.

Ad tertium dicendum, quod missio in quantum im-
portat processionem à mittente, includit in sui signi-
ficatione notionem non quidem in speciali, sed in ge-
nerali, prout esse ab alio est commune duabus notioni-
bus.

Forma Textus.

CONCL. est: Patri nullo modo conuenit mitti,
sed filio & Spiritui sancto. Probatur. Missio
in sui ratione importat processionem ab alio,
& in diuinis secundum originem: at pater non
est ab alio, filius autem & Spiritus S. sunt ab al-
io; ergo patri nullo modo conuenit mitti, sed
filio solum & Spiritui sancto.

Expositio Textus.

DE MATERIA præsentis articuli tractat
Suar. lib. 12. c. 2. ubi negat filium proprie
seipsum mittere; quia non procedit à seipso: &
eadem ratione docet patrem non posse sei-
psum mittere. Sed difficultatem hanc su-
perius absoluius in controuer-
sia ad primum arti-
culum.

NAZ. in 1. part. D. Th. tom. 2.

ARTICVLVS QVINTVS.

Virum filio conueniat inuisibiliter mitti.

AD Quintum sic proceditur. Videtur, quod filio
non conueniat inuisibiliter mitti. Missio enim
inuisibilis diuinæ personæ attenditur, secundum dona
gratiæ, sed omnia dona gratiæ pertinent ad Spiritum
sanctum secundum illud 1. Cor. 12. Omnia operatur v-
nus atque idem spiritus. ergo inuisibiliter non mitti-
tur nisi Spiritus sanctus.

230
1. dist. 13. q.
4. art. 1. 68
4. con. c. 8.
Co. 9. 2.
ca. 23. co. 2.

2 Præterea. Missio diuinæ personæ fit secundum
gratiam gratum facientem. Sed dona quæ pertinent
ad perfectionem intellectus, non sunt dona gratiæ
gratum facientis, cum sine charitate possint haberi,
secundum illud 1. ad Cor. 13. Si habuero prophetiam,
& no. myst. o. & omnem scientiam, & si habuero om-
nem si. ita vt mon. trans. cheritatem autem non ha-
beam, nihil sum. Cum ergo filius procedat, vt verbum
intellectus, videtur quod non conueniat sibi inuisibili-
ter mitti.

3 Præterea. Missio diuinæ personæ est quedam
processio, vt dictum est. * Sed alia est processio filij, a-
lia Spiritus S. Ergo & alia missio, si vterque mittitur.
Et sic altera earum superflua erit, cum vna sit sufficiens huius q.
ad sanctificandam creaturam.

Art. præc.
& artic. 1.

Sed contra est, quod Sap. 9. dicitur de diuinæ Sa-
pientia. Mitte illam de celis sanctus tuus, & à sede ma-
gnitudinis tuæ.

Respondeo dicendum, quod per gratiam gratum
facientem tota Trinitas inhabitat mentem, secun-
dum illud Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem
apud eum faciemus. Mitti autem personam diuinam
at aliquem per inuisibilem gratiam, significat nouum
modum inhabitandi illius personæ, & originem eius
ab alia. Vnde cum tam filio quam Spiritui sancto
conueniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio esse,
utriusque conuenit inuisibiliter mitti. Patri autem licet
conueniat inhabitare per gratiam, non tamen sibi
conuenit ab alio esse, & per consequens nec mitti.

Ad primum ergo dicendum, quod licet omnia do-
na in quantum dona sunt, attribuantur Spiritui san-
cto (quia habet rationem primi doni secundum quod
est amor; vt supra dictum est) aliqua tamen dona se-
cundum proprias rationes attribuantur per quan-
dam appropriationem filij, scilicet illa quæ pertinent
ad intellectum. Et secundum illa dona attenditur
missio filio. Vnde Aug. * dicit 4. de Trin. quod tam in-
uisibiliter filius cuiquam mittitur, cum à quoquam
cognoscitur atque percipitur.

Lib. 4. de tri.
ca. 20. circa
med. 10. 3.

Ad secundum dicendum, quod anima per gratiam
conformatur Deo. Vnde ad hoc quod aliqua persona
diuina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet
quod fiat assimilatio illius ad diuinam personam, quæ
mittitur per aliquod gratiæ donum. Et quia Spiritus
sanctus est amor, per donum charitatis anima
Spiritui sancto assimilatur. Vnde secundum modum
charitatis attenditur missio Spiritui sancti. Filius au-
tem est verbum, non qualecunque, sed spirans amo-
rem. Vnde Aug. dicit in * 9. lib. de Trin. Verbum autem
quod insinuare intendimus, cum amore notitia est.
Non igitur secundum quamlibet perfectionem intel-
lectus mittitur filius, sed secundum talem institutio-
nem, vel instructionem intellectus, quæ prorumpat in
affectum amoris, vt dicitur Ioan. 6. Omnis qui audi-
uit à patre, & didicit, venit ad me. Et in Ps. In medi-
mea exarscit ignis. Et idè signanter dicit August. * hoc. c. 11. in
quod filius mittitur cum à quoquam cognoscitur atque
percipitur. Perceptio autem experimentalem quan-
dam notitiam significat. Et hac proprie dicitur sapi-
entia, quasi sapida scientia, secundum illud Eccl. 6.
Sapientia doctrina secundum nomen eius est.

li. 9. de tri.
c. 10. cir. f.
10. 3.

Gg

Ad

Ad Tertium dicendum, quod cum missio importet originem personae missae, & inhabitationem per gratiam (ut supra dictum est *) si loquamur de missione quantum ad originem, sic missio filij distinguitur à missione Spiritus sancti, sicut & generatio à processione. Si autem quantum ad effectum gratiae, sic communicant duae missiones in radice gratiae, sed distinguuntur in effectibus gratiae: qui sunt illuminatio intellectus, & inflamatio affectus. Et sic manifestum est, quod una non potest esse sine alia, quia neutra est sine gratia gratum faciente, nec una persona separatur ab alia.

Sensus quaesiti.

QUAMVIS proponatur quaesitum de solo filio, intentio tamen est etiam quaerere de Spiritu S. ut patet conclusione utramque personam complectente: sed solum filij nomen praefert titulus, quia prima est in divinis persona procedens, & una est missionis ratio utrique procedenti personae communis. Aliam rationem reddit Iacobi, non satis congruam.

Forma Textus.

CONCL. est. Tam filio, quam Spiritui S. convenit inuisibiliter mitti. Probat. Divina personam mitti ad aliquem per inuisibilem gratiam significat novum modum inhabitandi illius personae, & originem eius ab alia: sed tam filio, quam Spiritui S. convenit inhabitare per gratiam, & ab alio esse; ergo tam filio quam Spiritui sancto convenit inuisibiliter mitti. Maior declaratur ab opposito ex tota Trinitate & persona patris: quibus licet conveniat inhabitare per gratiam, non tamen convenit mitti ob defectum alterius conditionis in maiori parte, quae est origo ab alio: quae nec toti simul Trinitati, nec patri convenit.

Expositio Textus.

AD Huius articuli intelligentiam recollenda sunt dicta superius in 1. articulo.

Responsionem ad secundum argumentum explicat latius author in 1. dist. 15. q. 4. ar. 1.

De distinctione verò missionum filij, & Spiritus S. differit S. D. eadem dist. & q. ar. 2. & quaedam notat Suarez. lib. 12. cap. 5. nu. 19.

ARTICVLVS SEXTVS.

Utrum missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiae.

AD Sextum sic proceditur. Videtur, quod missio inuisibilis non fiat ad omnes, qui sunt participes gratiae. Patres enim veteris testamenti, gratia participes fuerunt. Sed ad illos non videtur fuisse facta missio inuisibilis. Dicitur enim Ioannis septimo. Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus. Ergo missio inuisibilis non fit ad omnes, qui sunt participes gratiae.

2. Praeterea. Profectus in virtute non est nisi per gratiam. Sed missio inuisibilis non videtur attendi secundum profectum virtutis: quia profectus virtutis videtur esse continuus, cum charitas semper aut proficiat, aut deficiat. Et sic missio esset continua: ergo missio inuisibilis non fit ad omnes participes gratiae.

3. Praeterea. Christus, & beati plenissime habent gratiam. Sed ad eos non videtur fieri missio, quia missio fit ad aliquid distans. Christus autem secundum quod homo, & omnes beati, perfecte sunt uniti Deo.

A Non ergo ad omnes participes gratiae, fit missio inuisibilis.

4. Praeterea. Sacramenta nouae legis continent gratiam, nec tamen ad ea dicitur fieri missio inuisibilis. Non ergo ad omnia, quae habent gratiam, fit missio inuisibilis.

Sed contra est, quod secundum Augustinum* missio inuisibilis fit ad sanctificandam creaturam. Omnis autem creatura habens gratiam sanctificatur. Ergo ad omnem creaturam huiusmodi fit missio inuisibilis.

Respondeo. Dicendum, quod (sicut supra dictum est e) missio de sui ratione importat, quod ille, qui mittitur, vel incipiat esse ubi prius non fuit (sicut accidit in rebus creatis) vel incipiat esse ubi prius fuit, sed quodam modo nouo, secundum quod missio attribuitur diuinis personis. Sic ergo in eo d. ad quem fit missio, oportet duo considerare: scilicet inhabitationem gratiae, & immutationem quandam per gratiam. Ad omnes ergo fit missio inuisibilis, in quibus haec duo inueniuntur.

Ad Primum ergo dicendum, quod missio inuisibilis est facta ad patres veteris testamenti. Vnde dicit Augustinus* 4. de Trinitate, quod secundum quod filius mittitur inuisibiliter, fit in hominibus, aut cum hominibus. Hoc autem antea factum est in patribus, & prophetis. Cum ergo dicitur, Nondum erat datus spiritus, intelligimus de illa datione cum signo visibili, quae facta est in die Pentecostes.

Ad Secundum dicendum, quod etiam secundum profectum virtutis, aut augmentum gratiae fit missio inuisibilis. Vnde Augustinus dicit* quarto de Trinitate, quod tunc cuiquam mittitur filius, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognosci, & percipi potest pro capto, vel proficientis anima in Deum, vel perfecta anima rationalis in Deo. Sed tamen secundum illud augmentum gratiae praecipue missio inuisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum statum gratiae: ut puta, cum aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetia: vel in hoc, quod ex feruore charitatis exponit se martyrio, aut abrenunciat his, quae possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur.

Ad Tertium dicendum, quod ad beatos est facta missio inuisibilis in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio inuisibilis, non secundum intensionem gratiae, sed secundum quod aliqua mysteria eis reuelantur de nouo. Quod est usque ad diem iudicii: Quod quidem augmentum attenditur secundum extensionem gratiae ad plura se extendentis. Ad Christum autem fuit facta inuisibilis missio in principio suae conceptionis: & non autem postea, cum à principio suae conceptionis fuerit plenus omni sapientia, & gratia.

Ad Quartum dicendum, quod gratia est in sacramentis nouae legis instrumentaliter, sicut forma artificio est in instrumentis artis secundum quandam discursum ab agente in patiens. Missio autem non dicitur fieri nisi respectu termini. Vnde missio diuina persona non fit ad sacramenta, sed ad eos, qui per sacramenta gratiam suscipiunt.

Sensus quaesiti.

DE OMNIBVS quocumque modo gratiam participantibus haec quaestio proponitur, ut patet ex argumentis, & praesertim tertio & quarto, quo tangitur contentia gratiae in sacramentis.

Forma Textus.

CONCL. est. Missio inuisibilis fit ad omnes participes gratiae. Probat. In eo, ad quod fit missio,

oportet duo considerare, scilicet inhabitatione gratia, & innouationem quandam per gratiam: ergo ad omnes fit missio, in quibus hæc duo inueniuntur. Antecedens probatur. Missio de sui ratione importat, quod ille, qui mittitur, vel incipiat esse ubi prius non fuit (sicut accidit in rebus creatis) vel incipiat esse ubi prius fuit, sed quodam nouo modo secundum quod missio attribuitur diuinis personis: ergo in eo ad quem &c.

Expositio Textus.

DE MATERIA præsentis articuli & præsertim argumenti secundi, tertij & quartij, latè disserit S. D. in 1. sent. dist. 15. q. 5. a. 1. in qua tuor quæstunculas diuiso. Vide etiam quæ notat hic Cai. & lauel. & Suarez in dicto s. c. n. 17. ubi tamen absque sufficienti ratione negat fieri missionem inuisibilem ad beatos, in noua mysteriorum reuelatione: cuius oppositum docet author hic ad tertium.

Aduerte præterea Vasquez. hic leuiter impugnare D. Tho. affirmantem hic ad secundum cum D. Aug. secundum virtutis perfectum aut augmentum gratia fieri missionem inuisibilem diuinæ personæ. Eius argumentum satis puerile & falsum alluens soluunt Suarez in dicto c. 5. n. 17. & Ripa super hoc a. Falsum est enim in intentione gratia diuinam personam non incipere esse nouo modo in creatura: sicut affirmat Vasq. secundum eam intentionem gratia, quæ fit virtute Sacramenti personam esse nouo modo in creatura. Sed ait Vasq. eam gratiam dari ad peculiarem effectum. Sed cum hic effectus non sit extra latitudinem effectuum immediatorum gratia ut patet, non apparet, cur magis secundum hanc, quam secundum quamlibet aliam gratia intentionem fiat missio diuinæ personæ.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Utrum Spiritui sancto conueniat visibiliter mitti.

232
Zocii sup. a.
6. inductis.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod Spiritui sancto non conueniat visibiliter mitti. Filius enim secundum quod visibiliter missus est in mundum, dicitur esse minor patre. Sed nunquam legitur Spiritui S. minor patre. Ergo Spiritui S. non conuenit visibiliter mitti.

2. Præterea. Missio visibilis attenditur secundum aliquam creaturam visibilem assumptam, sicut missio filij secundum carnem. Sed Spiritui S. non assumptus est aliquam creaturam visibilem. Vnde non potest dici, quod in aliquibus creaturis visibilibus sit alio modo quam in alijs, nisi forte sicut in signo: sicut est etiam in Sacramentis, & in omnibus figuris legalibus.

Non ergo Spiritui S. visibiliter mittitur: vel oportet dicere, quod secundum omnia huiusmodi, eius missio visibilis attenditur.

3. Præterea. Qualibet creatura visibilis est effectus demonstrans totam Trinitatem.

Non ergo per illas creaturas visibiles magis mittitur Spiritui S. quam alia persona.

4. Præterea. Filius visibiliter est missus secundum dignissimam visibilium creaturarum, scilicet secundum naturam humanam.

Si igitur Spiritui S. visibiliter mittitur, debuit mitti secundum aliquas creaturas rationales.

5. Præterea. Quæ visibiliter sunt diuinitus, dispensantur per ministerium Angelorum, ut Aug. dicit * 3. de Trin. Si ergo aliqua species visibiles apparuerunt,

A hoc factum fuit per Angelos. Et sic ipsi Angeli mittuntur, & non Spiritus S.

6. Præterea. Si Spiritus S. visibiliter mittatur, hoc non est nisi ad manifestandum inuisibilem missionem, quia inuisibilia per visibilia manifestantur.

Ergo ad quem missio inuisibilis facta non fuit, nec missio visibilis fieri debuit: & ad omnes ad quos fit missio inuisibilis, siue in nouo, siue in veteri testamento, missio visibilis fieri debet. Quod patet esse falsum.

Non ergo Spiritus S. visibiliter mittitur.

Sed contra est, quod dicitur Matth. 3. quod Spiritus S. descendit super Dominum baptizatum in specie columba.

Respondeo. Dicendum, quod Deus prouidet omnibus secundum vniuscunque modum.

Est autem modus conuatiualis hominis, ut per visibilia ad inuisibilia manuducatur, (ut ex supradictis patet. *) Et ideo inuisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari.

Sicut igitur seipsum Deus, & processiones æternas personarum, per creaturas visibiles, secundum aliquam indicia hominibus quodammodo demonstrauit: ita conueniens fuit, ut etiam inuisibiles missiones diuinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur.

Aliter tamen filius, & Spiritus S. Nam Spiritui S. inquantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum: filio autem inquantum est Spiritus S. principium, competit esse sanctificationis huius author. Et ideo filius visibiliter missus est, & quædam sanctificationis author, sed Spiritus S. tanquam sanctificationis indicium.

Ad Primum ergo dicendum, quod filius creaturam visibilem in qua apparuit, in vnitatem personæ assumpsit: sic, ut quod de illa creatura dicitur, de filio Dei dici posset. Et sic ratione naturæ assumptæ filius dicitur minor patre. Sed Spiritui S. non assumptus est creaturam visibilem, in qua apparuit, in vnitatem personæ, ut quod illi conuenit, de illo prædicetur. Vnde non potest dici minor patre, propter visibilem creaturam.

Ad Secundum dicendum, quod missio visibilis Spiritui S. non attenditur secundum visionem imaginariam, quæ est visio prophetica: quia, ut August. dicit * 2. de Tri. visio prophetica, non est exhibitæ corporeis oculis per formas corporeas, sed in spiritu per spirituales corporum imagines. Columnam verò illam & ignem, oculis viderunt, quicumque viderunt. Neque iterum sic se habuit Spiritus S. ad huiusmodi species, sicut filius ad petram, quia dicitur, Petra erat Christus. Illa enim petra, iam erat in creatura, & per actionis modum nuncupata est nomine Christi, quem significabat. Sed illa columna & ignis, ad hæc tantum significanda repente extiterunt. Sed videntur esse similia flamma illi, quæ in rubo apparuit Moysi, & illi columna quam populus in eremo sequebatur, & fulgoribus ac tonitruis, quæ fiebant cum lex daretur in monte. Ad hoc enim rerum illarum corporalis extirrit species, ut aliquid significaret, atque predicaret. Sic igitur apparet, quod missio visibilis, neque attenditur secundum visiones propheticas, quæ fuerunt imaginaria, & non corporales, neque secundum signa sacramentalia veteris & noui testamenti, in quibus quedam res præ-existent assumuntur ad aliquid significandum. Sed Spiritus S. visibiliter dicitur esse missus, inquantum fuit monstratus in quibusdam creaturis, sicut in signis ad hoc specialiter factis.

Ad Tertium dicendum, quod licet illas creaturas visibiles tota Trinitas operata sit, tamen facta sunt, ad demonstrandum specialiter hanc, vel illam personam. Sicut enim diuersis nominibus significatur pater, & filius, & Spiritus S. ita etiam diuersis re-

lib. 2. de tri.
c. 6. parum
à med. 10. 3.

bus significari potuerunt: quamvis inter eos nulla sit separatio, aut diuersitas.

Ad Quartum dicendum, quod personam filij declarari oportuit, ut sanctificationis auctor (ut dictum est. *) Et ideo oportuit, quod missio visibilis filij fieret secundum naturam rationalem, cuius est agere, & cui potest competere sanctificari. Indicium autem sanctificationis esse potuit quacunque alia creatura. Neque oportuit, quod creatura visibilis ad hoc formata, esset assumpta à Spiritu Sancto in unitatem personae, cum non assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum. Et propter hoc etiam non oportuit, quod duraret, nisi quamdiu perageret officium suum.

Ad Quintum dicendum, quod illa creatura visibiles formatae sunt ministerio Angelorum: non tamen ad significandum personam Angelum, sed ad significandam personam Spiritus S. Quia igitur Spiritus S. erat in illis creaturis visibilibus, sicut signatum in signo, propter hoc secundum eas Spiritus S. visibiliter mitti dicitur, & non angelus.

Ad Sextum dicendum, quod non est de necessitate inuisibilis missionis, ut semper manifestetur per aliquod signum visibile exterius, sed sicut dicitur prima Corinth. duodecimo. Manifestatio spiritus datur alicui, ad utilitatem scilicet Ecclesiae. Quae quidem utilitas est, ut per huiusmodi visibilia signa fides confirmetur, & propagetur. Quod quidem principaliter factum est per Christum, & per Apostolos, secundum illud Hebraeor. secundo. Cum mirum accepisset enarrari per dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est. Et ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus Sancti ad Christum, & ad Apostolos, & ad aliquos primitivos Sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur: ita tamen, quod visibilis missio facta ad Christum, demonstraret missionem inuisibilem: non tunc, sed in principio suae conceptionis ad eum factam. Facta autem est missio visibilis ad Christum, in baptismo quidem, sub specie columbae, quod est animal fortundum, ad ostendendum in Christo auctoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem (unde vox patris insonuit, Hic est filius meus dilectus) ut ad similitudinem unigeniti, alij regenerarentur. In transfiguratione vero, sub specie nubis lucidae, ad ostendendam exuberantiam doctrinae. Unde dictum est. Ipsum audire. Ad Apostolos autem sub specie status, ad ostendendam potestatem ministerij in dispensatione Sacramentorum. Unde dictum est eis: Quorum remisistis peccata, remittuntur eis. Sed sub linguis igneis, ad ostendendum officium doctrinae. Unde dicitur, quod coeperunt loqui varijs linguis. Ad patres autem veteris testamenti, missio visibilis Spiritus Sancti fieri non debuit, quia prius debuit perfici missio visibilis filij quam Spiritus Sancti. cum Spiritus Sancti manifestet filium, sicut filius patrem. Fuerunt autem facta visibiles apparitiones diuinarum personarum patribus veteris testamenti. Quae quidem missiones visibiles dei non possunt: quia non fuerunt factae (secundum Augustin. *) ad designandum inhabitationem diuinae personae per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum.

Sensus quaestii.

SOLA dictio visibiliter indiget explanatione, quae tamen habetur ex littera, & ex notatis supra artic. tertio in titulo. Eandem explicat Torres super hoc articulo.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. Conueniens fuit ut inuisibiles missiones diuinarum personarum, secundum ali-

quas visibiles creaturis manifestarentur. Probatur. Inuisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari; ergo. Probatur antecedens dupliciter. Primum ex communi ratione diuinæ providentiae; Deus prouidet omnibus secundum vniuersumque modum; at modus naturalis hominis est, ut per visibilia ad intelligibilia manuducatur; ergo inuisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari. Secundò probatur ex simili manifestatione Dei & processione; quia Deus seipsum & processiones aeternas personarum per creaturas visibiles demonstrauit, quibus imaginis aut vestigij similitudinē impressit.

SECUNDA CONCL. Filius origine manifestatus & missus est visibiliter tanquam sanctificationis auctor: sed Spiritus Sanctus tanquam sanctificationis indicium. Probatur. Quia Spiritus S. in quantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum: filio autem in quantum est Spiritus S. principium, competit esse sanctificationis huius auctorem.

Expositio Textus.

DISSECTATE S. D. de materia praesentis articuli in primo sent. dist. 16. quae vnicuius quatuor articulos continet: & 3. par. q. 39. a. 6. 7. & 8. ad quem locum pertinet quaestio hic à recentioribus mota: An colūba in qua apparuit Spiritus S. fuerit verum animal, & vniuersaliter, an quatuor signa visibilis missionis Spiritus S. fuerint veriores, an similitudines earum.

Difficultatem hanc versant hic Torres, Zumel. & Mol. & Suar. lib. 2. cap. 6. Nos eius definitionem proprio loco referuamus.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum aliqua persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit aeternaliter.

AD OCTAUM sic proceditur. Videtur, quod nulla persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit aeternaliter. Quia sicut dicit Aug. * 4. de Trin. Pater à nullo mittitur, quia à nullo est. Si ergo aliqua persona diuina mittitur ab alia, oportet quod sit ab illa.

2. Prat. Mittens habet auctoritatem respectu missi: sed respectu diuinae personae non potest haberi auctoritas, nisi secundum originem. Ergo oportet, quod diuina persona, qua mittitur, sit à persona mittente.

3. Prat. Si persona diuina potest mitti ab eo, à quo non est, nihil prohibebit dicere, quod Spiritus Sanctus detur ab homine, quamvis non sit ab eo. Quod est contra Aug. * 3. de Trin. Ergo diuina persona non mittitur, nisi ab ea, à qua est.

Sed contra est, quod filius mittitur à Spiritu S. secundum illud Isa. 48. Nunc misit me Dominus Deus, & Spiritus eius. Filius autem non est à Spiritu Sancto. Ergo persona diuina mittitur ab ea, à qua non est.

Respondeo. Dicendum, quod circa hoc inueniuntur aliqui diuersimodè locuti esse. Secundum quosdam enim, persona diuina non mittitur nisi ab eo, à quo est aeternaliter. Et secundum hoc cum dicitur, filius Dei missus à Spiritu Sancto, referendum est hoc ad humanam naturam, secundum quam missus est ad predicandum à Spiritu S. Augustin. autem dicit * 2. de Trin. a. quod filius mittitur, & à se, & à Spiritu S. & Spiritus S. etiam mittitur, & à se, & à filio, ut sic mitti in diuinis non conueniat cuiuslibet personae, sed solum personae ab alio existenti: mittere autem conueniat cuiuslibet personae. Vtrumque autem ha-

li. 2. de tri.
c. 17. cir. fin.
102.

233
1. dist. 15. q. 4.
3. dist. 15. q. 4.
10. ar. 4. ad
quartum.
* li. 4. de tr.
c. vi. in 103.

li. 15. de tr.
c. 26. in 3.

li. 2. de m.
c. 5. per 18.
in 103.

hac

D. 901.

D. 430.

bet aliquo modo veritatem : quia cum dicitur aliqua persona mitti, designatur, & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis, aut inuisibilis, secundum quem missio divinae personae attenditur. Si igitur mittens designetur ut principium personae, quae mittitur, sic non quilibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius personae. Et sic filius mittitur tantum a patre, d. Spiritus S. autem a patre & filio. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sicut tota Trinitas mittit personam missam. Non d. autem propter hoc, homo dat Spiritum S. quia nec effectum gratiae potest causare. Et per hoc patet solutio ad obiecta.

Forma Textus.

RELATIS duabus oppositis opinionibus, pro utraque respondet duabus conclusionibus.

PRIMA CONCLUSIO est pro priori sententia. Si mittens designetur ut principium personae, quae mittitur, sic non quilibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius personae.

sic filius mittitur tantum a patre, Spiritus sanctus autem a patre & filio.

SECUNDA CONCL. pro sententia D. Augustini est. Si persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sicut tota Trinitas mittit personam missam. Probatur utraque simul. Cum dicitur aliqua persona mitti, designatur & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis aut inuisibilis, secundum quem missio divinae personae attenditur; ergo si mittens, &c.

Expositio Textus.

PRO HUIUS a. intelligentia legenda sunt ea, quae supra diximus in contr. ad 1. a. huius q. quibus consonant ea quae notat Iauel super hoc a.

Difficultatem tactam in tertio argumento tractat S. D. in 1. dist. 14. a. vincto.

ET HAEC sufficient pro Commentariis huius tractatus, ad laudem & gloriam SS. Trinitatis, & Catholicae fidei exaltationem, & doctrinae D. Th. Aq. D. A. & divinae voluntatis interpretis amplitudinem.

TRACTATUS DE CREATIONE.

QUAESTIO XLIV.

De processione creaturarum a Deo, & de omnium entium prima causa, in quatuor articulos diuisa.



POST considerationem diuinarum personarum, considerandum restat de processione creaturarum a Deo. Erit autem haec consideratio tripartita, ut primo consideretur de productione creaturarum. Secundo, de earum distinctione. Tercio, de conseruatione, & gubernatione. Circa primum tria sunt consideranda. Primo quidem, quae sit prima causa entium. Secundo, de modo procedendi creaturarum a prima causa. Tercio vero de principio durationis rerum.

Circa primum queruntur quatuor.

Primo, Vtrum Deus sit causa efficiens omnium entium.

Secundo, Vtrum materia prima sit creata a Deo, vel sit principium ex quo coordinatum ei.

Tercio, Vtrum Deus sit causa exemplaris rerum, vel sint alia exemplaria praeter ipsum.

Quarto, Vtrum ipse sit causa finalis rerum.

Ordo questionis, & articulorum.

QUONIAM ut ait S. D. infra q. 45. a. 6. diuinae personae secundum rationem suae processionalis habent causalitatem respectu creationis rerum: ideo considerata processione diuinarum personarum, & omnibus ad earum rationem ac notitiam pertinentibus, agit de processione creaturarum a Deo. Bannes aliam reddit rationem ex differentia Theologiae ac Metaphysicae, de qua diximus supra in introductione secunda questionis.

Distinguit autem tractatum hunc de rerum creatione in tria praecipua capita, quorum ordo quamquam satis euidens, explicabitur in singulorum exordio. Huius vero questionis articulorum series est. Nam primo conuenit Deo

C ratio causae efficientis, ex hoc quod est ipsum, esse per essentiam, per se subsistens & maxime ens. Deinde ut effectus quilibet a Deo productus determinatam formam consequatur, necesse est in diuina mente praexistere rationes omnium rerum, quas ideas & formas dicimus exemplares. Denique, quoniam omne agens agit propter finem; postremo quaeritur, num Deus sit causa finalis omnium. Cōstat autem naturalem agentis perfectionem & virtutem in eo praecedere rationem idealem, & quod utrumque praecedit rationem finis secundum esse: quamuis omnium prima sit finis causalitas in intentione; sed quia Deo absolute & simpliciter conuenit ratio efficientis & exemplaris, ratio vero finis, id est, ad finem ordinari, non conuenit Deo absolute considerato, sed solum quantum ad eius actionem: non ut res est, sed ut actio formaliter est: ideo postremo loco de finali causa differitur. His adde notioem nobis esse rationem efficientis causae, quam finalis: Hanc enim ex efficiendi notificamus. Agit itaque S. D. primo de Deo, prout est rerum omnium causa in primo articulo: deinceps in 2. quaerit, vtrum materia prima sit a Deo creata, ob singularem de eius esse & productione difficultatem.

ARTICVLVS PRIMVS.

E Vtrum sit necessarium, omne ens esse creatum a Deo.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod non sit necessarium omne ens esse creatum a Deo. Nihil enim prohibet inueniri rem sine eo, quod non est a. 2. & 3. de ratione rerum: sicut hominem sine albedine. Sed habetudo causati ad causam non videtur esse de ratione entium, quia sine hac possunt aliqua entia intelligi: ergo sine hac possunt esse. Ergo nihil prohibet esse aliqua entia non creata a Deo.

2. Praeterea. Ad hoc aliquid indiget causa efficiente, ut sit. Ergo quod non potest non esse, non indiget causa effici.

Gg 3

sa effi.